

Die Urkunden Karls des Großen, 61

(C.) Carolus rex Francorum vir inluster. Se illa beneficia, quod parentis nostri eorum fidelibus vel sacerdotibus presteterunt vel concesserunt, pro nostris oraculis confirmamus, domino retributorem ob hoc habire confidemus et eos de gracia nostra fideliter adortamus. Igitur venerabilis vir Herlafredus abba de monastirio Fossato, qui est in honore sancti Petri et sancti Mariae vel citerorum sanctorum super fluvium Materna in pago Parisiaco constructus, ubi ipse abba cum turma plurima sub sancta regula vivere vel conversare veditur, climentiae regni nostri credidit suggerendum, eo quod dominus et pater noster Pipinus quondam rex integra emunitate de omnes villas vel curtis ipsius monasterii sui in quascumquilibet pagus atque terraturiis, quicquid presente temporis possidebat aud adhuc inantia ibidem additum et conlatum fuerit, concessisset, ut nullus iudex publicus ad res vel facultatis ipsius abbate vel monasteriae suaec nec ad causas audiendum nec tulneo prindendum nec ad frida exigendum nec mansiones aud paratas faciendum nec fideiusoris tollendo ad hominis suos, tam ingenuos quam et servos vel qui super terra ipsius abbatis commanire veditur, tollendum nec nulla redibucione requerendum nec exactandum inibi iudicaria potestas ingredire non diberit, nisi ipsi Herlafredus abba aud successoris sui omnes res vel facultatis eorum sub emmunitatis nomen cum omnes fredus concessus diberet possedire et domenare. Unde et ipsa precepione suprascripto rege se ex [hoc] pro manibus abire adfirmat et ipse beneficius concessus de eo tempore usque nunc veditur esse conservatus; sed pro integra firmitate pediit celsitudinem nostri, ut hoc in id ipso Herlafredo abbate aud monasteriae suaec vel successores suos pro nostrum preceptum ad luminaribus aeclesiae sancti Petri et sancti Mariae plinius in dei nomen confirmare diberimus. Cuius pedicione gradante animo ita prestetisse et in omnibus confirmasse cognoscite. Precipientis enim, ut, sicut constat dominus et pater noster integra emmunitatis suprascripto abbate, sicut superius loquitur, concessisset, ut nullus iudex publicus ad res vel facultatis ipsius abbate aud monasteriae suaec, quicquid presente tempore possedire vel domenare aud quod adhuc inantia addere vel inmeliorare potuerit aud ibidem additum vel conlatum fuerit, ut nullus iudex publicus nec ad causas audiendum nec tulneo prindendum nec ad freda exegendum nec mansiones aud paratas faciendum nec fideiusores ad homines ipsius monasteriae vel qui super terras eorum commanent tollendum nec nulla redibucione requirendum nec exactandum iudicaria potestas ingredire non diberet et de eo tempore usque nunc ipsi benificius concessus circa ipsius abbate Herlafredo esse veditur conservatus, ita et inantia inspecta vel stante ipsa precepione, sicut pro cadem pro nostrum preceptum plinius in dei nomen confirmatum, ipsi benificius concessus circa ipsius abbate aud parte monasteriae suaec vel successores suos valiat esse conservatus. Ut et haec precepio firmior abiatur, manus nostra supscriptionis subter eam decrevimus roborare.

Actum est Uuarmacia civitate publici.

(M.) Carolus rex (SR.).

Datum quod fecit minsis aprilis dies undice in anno tercio regnante domno nostro gloriosissimo Carolo rege; in dei nomen feliciter.